



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XLIII. Virginitatis antesignana. Virginitatis insignis cultrix est Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XLIII.

Maria Virginitatem vovens, Fundatrix & Regina Virginum.

Virginitatem Mariæ Virginis, innumeris encomiis ^{Exordium.} deprædicant SS. Patres; sic nominat eam S. Thomas de Villâ Novâ. Conc. 2. de Annunt. B. V. *Virginem in Spiritu, Virginem in carne, Virginem in aspectu, Virginem in sensu, Virginem in cogitatione, Virginem in desiderio, Virginem in sermone, Virginem in moribus.* S. Jacobus Apostolus in Lyturgiâ. Orat. de Deiparâ. *Gloriam Virginum.* Richardus à S. Laurentio. lib 2. de Instit. Virg. cap. 6. *Magistram Virginitatis.* S. Ildephonsus. Orat. 1. de Nat. *Theaurum virginitatis.* S. Joannes Damascenus. de Contemplat. V. cap. 6. *Exemplar perfecta Virginitatis.* Doctissimus Idiota. *Ducem Virginitatis.* S. Bernardus serm. super Sign. Magni *Supremam Virginitatis Cancellariam.* S. Joannes Chrysostomus. serm. 143. Hæref. 78. *Reginam puritatis.* Univerſa Ecclesia *Reginam Virginem* veneratur. Regiæ personæ primatum tenent, virginitas neque in antiqua, neque in novâ lege præcepta erat, quin imò sterilitas olim pro maledicto cenſebatur, Virgo igitur Maria, quia ex mero charitatis in Deum incendio, sine præcepto, sine consilio, sine exemplo, Virginitatem prima Deo vovit, Virginitate etiam Deo summopere placuit, ut angelico dignata Nuntio, in Matrem Dei inter omnes mulieres benedicta eligeretur, Fundatrix & Regina est Virginum. ^{SS. Patres.} Authoritati SS. Patrum firmiter insistamus. ^{S. Ambrosi} *Egregia igitur Maria, qua signum sacra Virginitatis extulit, & intemerata Virginitatis, pium Christo vexillum levavit, & omnes ad cultum virginitatis, sancta Maria advocantur exemplo.* scribit S. Ambrosius, de Institut. Virg.

- cap. 5. *O Virgo prudens! O Virgo devota! quis te docuit, Deo placere virginitatem? qua lex, qua iustitia, qua pagina veteris Testamenti, vel praecepit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere, & in terris angelicam ducere vitam? Quærit Virginem S. Bernardus. Hom. 3. super missus est. Virgo itaque tenera & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum, ad hoc intendit, ut corpus & animam suam, Deo Virginitate perpetuâ consecraret. perorat S. Anselmus de Excellent. B. V. cap. 4. Beata Maria est Mater omnium in virginitate, quia prima sine praecepto, consilio, vel exemplo, gloriosum virginitatis munus Deo obtulit, ait S. Antoninus. 4. Part. Tit. 15. cap. 20. §. 10. Per votum virginitatis ab eâ emissum opprobrium virginitatis abstulit, quia maledicta in lege dicebatur sterilis, & eam in se consecravit, & sic omnes Virgines, per imitationem sui genuit. definit S. Augustinus ferm. de Incarnatione. O Virgo prudens, Virgo pudicissima, Virgo pulcherrima & fecunda, corpore decora atque integra, animo fulgida, fide perspicua, vitâ præclara, amore virginitatis devota, in obedientiâ virtutum parata! exclamat præ admiratione S. Ildephonsus. Serm. 1. de Assump. B. V. impetra nobis gratiam Spiritûs S., ut dignis Conceptibus tuam laudabilem Virginitatem deprædicemus.*

CONCEPTUS I.

Confirma-
tio, seu De-
ductio.

Ex duplici capite honorandum nobis dilectum Christi discipulum Joannem, Ecclesia proponit, primò, quòd in cenâ super pectus Domini recumbere permissus, secundò, quòd paulò ante mortem, à Christo in cruce quasi per testamen- tum, Virgini Matri in filium sit recommendatus; *Mulier ecce filius tuus.* Joan. 19. cap. Felix revera Joannes, qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit ho- rari; quærit super hâc sorte Joannis, doctissimus Salmeron Hæres. 68. quare non alium discipulorum suorum Virgini Matri

Matri in filium Christus crucifixus recommendaverit? Nonne sinceram suam confessionem meruisset gratiam & Petrus? Cur ergo non illum, sed recte Joannem; Respondet ad quaestionem hanc S. Hieronymus in Prolog. Evang. Joan. Cui virginis in hoc duplex testimonium in Evangelio datur, qui & pro ceteris à Deo dilectus dicitur, & huic Matrem suam pendens in cruce commendavit Dominus, ut Virginem Virgo servaret, addit S. Petrus Damianus, serm. 2, de Joan. Ex utriusque Matris videlicet, filii, consortio, Joannis virginitas excellenter enituit, & quomodo humana possunt merita provehì, quasi meta virtutum factus, indefinenter excrevit, pro glorioso Virginis contubernio, ceteras à mundi primordio Virgines antecellit, hinc etiam Ecclesia in ejus Festo. Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in carnà recubuit, cui Christus in cruce Matrem Virginem virgini commendavit. Et iterum. Specialis prerogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum. Ecce tibi utriusque differentiam, Petrus uxoratus, Joannes virgo erat, virginem ergo Joannem Virgini Matri in filium recommendare Christus voluit; quia Mater venerandum caput est filii, sicut ergo Petrus factus est caput Ecclesiae, cui Deus oves seu animas commendavit, sic Maria facta est caput Virginum, cui Filius in cruce ultimam suam voluntatem relinquens, Joannem virginem Virgini Matri in filium recommendavit, sollicita igitur Mater, Caput, & Regina est Virginum.

CONCEPTUS II.

Postquam Dominus filios Israël eduxisset de Aegypto, & per mare rubrum sicco vestigio transire fecisset, Pharaonem verò cum curribus & equitibus submersisset, Maria prophetissa soror Aaron, dignum duxit, pro tantà victorià, & liberatione totius populi de captivitate, publicas in gratiarum actionem Domino decantare laudes. Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron, tympanum in manu sua, egressaque sunt

sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus precinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem ejus, deiecit in mare. Exodi. 15. cap. Quid non potest unius Mariæ exemplum, quam subito omnes mulieres subsequuntur? *Omnia in figurâ contingebant illis.* scribit S. Paulus Apostolus, 1. ad Cor. 10. cap. Cujus hæc Maria prophetissa fuit figura? Maria Regina Prophetarum, Virgo Deipara, sine prævio exemplo, sine præcepto, sine consilio, Virginitatem Deo vovens, innumerum habens chorum Virginum sibi subsequentem, per illam prophetissam Mariam figurabatur. Ita docet B. Albertus Magnus. Commentatione profundissimâ, in cap. 10. Lucæ. *Hæc est enim Maria, quæ Exod. 15. c. tympano assumpto mortificatione carnis, per votum castitatis præcinuit, & infinitæ mulieres in choris Deo psallentium, egressæ sunt post eam, quibus ipsa præcinuit, ut cantent Deo, quia in eis gloriose honorificatus, equum effrenem, impetum concupiscentiæ, & ascensorem ejus, sensum libidinis, projecit in mare amara penitentia & religionis.* Ideoque recenset S. Epiphanius. Hæref. 68. quod in primitivâ Ecclesia, Maria communi tantum nomine *Virgo*, appellata fuerit, quin & modernis adhuc temporibus Christi fideles per *Virginem*, Dei Genitricem intelligunt, quò insinuant, Mariam suis meritis esse primam Virginem, & gloriosam Regnam, choris Virginum sibi subsequentium stipatam.

CONCEPTUS III.

De auditâ voce turturis lætatur divina Majestas. Cant. 1. cap. *Vox turturis audita est in terrâ nostrâ.* Nempè vox illa, quam adeò desideravit dilectus: *Resonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis.* Cur turturi Mariam Virginem Spiritus S. assimilat? & quæ est vox illa tam dulcis, quam resonare in suis auribus sponsus cœlestis deposcit? Apponitur in Cantica observat, turturem esse avim castam, & vocem ejus in germanico idiomate esse vocem *Puritatis*, vulgò *Pur* ret.

ren. Castissima turtur est Virgo Maria, cujus vocem in terrâ electorum, à tempore Creationis mundi nondum auditam, vocem puritatis, votum virginitatis resonare in auribus, Dominus concupivit, tum primùm cum gaudio audita est, quando Maria omnium prima, virginalem Deo castitatem vovit vox Virginis, vox turturis. Ingeniosè Guilielmus Parisiensis. in cap. 2. Cant. *Turtur avis univira, casta viduitatis typus est; olim lex maledictum pronuntiârat, qui non faceret semen in Israël, sic vox turturis in Israël non erat audita, sed vox columba tantum prolificationi dedita, donec turtur nostra Maria, verè vidua, quia unum tantum novit conjugium, sed vidua incorrupta, vidua, sed alma, nupta, sed nulli cognita, nisi à spiritu s. prima sustulit signum calibatus & castitatis, audita est vox, quando cecinit; quoniam virum non cognosco.* Apices arborum supervolavit hæc turtur, quia gloriam Virginum Maria in dignitate transcendit omnium prima, Virginum Regina.

CONCEPTUS IV.

Virginitas in Lege antiquâ, nec laudabilis, neque in usu erat, præcepit enim Deus Deuteron. 7. cap. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus, neque in hominibus, neque in gregibus tuis.* In lege etiam nova, præcepta non erat virginitas, scribente Apostolo Paulo, 1. ad Cor. cap. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo.* Ante beatam Virginem nemo virginitatem consuluisse, aut etiam ipse vovisse virginitatem legitur, an ergo Maria sine præcepto, sine consilio, sine exemplo, gratam Deo virginitatis victimam prima non obtulit, in virginitate incorrupta permanere voto irrefragabili sese obligavit? Audiatur Abulensis. 4. Reg. 18. Quæst. 19. *De Dominâ nostra dicitur sola sine exemplo placuisti Domino, id est, non fuit aliqua, qua emisisset votum virginitatis propter Deum ante Dominam nostram.* Et B. Albertus Magnus. in cap. 4. Reg. *Maria prima sine lege, sine consilio, sine exemplo,*
Deo

Deo obtulit hostiam virginitatis, prima sese Deo devovit. Si jam primus honor, jus prioritatis & præcedentia competit iis, qui rerum laudabilium inventores sunt, & fundatores, quis vertet amplius in dubium, Mariam virginitatis Fundatricem omnibus præponendam esse Virginibus, & Reginam Virginum devote venerandam. *Primum inter devotas Virgines locum tenet Maria.* doctissime concludit Idiota, cum Origene antiquissimo Ecclesiæ scriptore. in Metaphorâ cap. 13. *Maria qua signum virginitatis extulit, vexillum puritatis protendit, jure Antesignana Virginum debet appellari.* Scribit S. Ambrosius. lib. de Virg. *Locus inter Virgines supremus ex justitiâ Mariæ attribuendus est.* ait S. Bernardus. Hom. 3. super Missus est. Regina itaque Virginum Maria.

CONCEPTUS V.

Gloriam Virginis in conspectu Regis æterni considerat regius Psalmista, & canit in spiritu suo prophetico: *Adducuntur regi Virgines post eam.* Psal. 44. Quis est ille rex, cui adducuntur Virgines, & cum illis Virgo Virginum Maria, nisi JESUS CHRISTUS, verus & unicus Virginum sponfus? Dignum etiam est, cum omni excogitabili honore Mariam Virginem Christo adducendam esse; sed cur post eam, & non ante eam? in magnis etenim comitiis supremi aulici & ministri regem non subsequuntur, sed tota aula ante regem procedit, Virgines ergò ante Mariam, non post eam Christo adducendæ esse videntur? post eam dicit nihilominus David, quia ante eam nemo virginitatem in terris Deo vovit, sed Mariam Ordinis Virginum Fundatrice, Mariam primam virginitatem Deo vovente, Catharina, Barbara, & sexcentæ aliæ sublecutæ post Mariam Christo adductæ sunt, post eam tot Monialium foundationes erectæ, post emissum Mariam Virginis votum tot cælibes utriusque sexus homines Virgines Christo adducuntur, Virginum sponso, quot tam in monasteriis, quàm in sæculo virginitatem piè colunt Christiani, Regi.

Reginam tuam Mariam Virginem recolendo subsequentes, inclamat proinde Mariam S. Augustinus. lib. de Sacris Virg. cap. 9. *Respice, o Virgo! in Ecclesia tua, turmas Virginum, virorum & mulierum, a te in hac tribu conscriptarum, & informatarum.* Ecce Maria, *Ordinis Virginum Fundatrix & Regina!*

CONCEPTUS VI.

Ventrem Virginis Deiparæ comparat Spiritus S. acervo tritici vallato liliis. *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. cap. Cur tritico? Mundissima & candidissima de tritico habetur farina, albus panis, de ventre Virginis Mariæ, quæ Virginitate Deo placuit, mundissimus panis vitæ Christus JESUS, sponsus Virginum candidus & rubicundus, processit: sed cur integer acervus tritici? nunquid decima hujus acervi pars ad conficiendum hunc panem suffecisset? Candor tritici, candorem Virginitatis designat in Maria, quam dum ipsa Deo vovit prima, innumeras Deo Virgines coacervavit, quas numerare tentabis, postquam grana hujus in unum numerum collegeris. Lilia pariter internam & externam corporis & animæ puritatem in Virgine Mariâ insinuant? Nonne pariter ad duplicem hanc Virginis puritatem, duo lilia suffecissent? Cur ergo tot lilia? Quis tot liliis acervum vallavit tritici? Maria Virginum Fundatrix, ipsa est acervus tritici, quæ seipsam tot liliis candidissimis vallavit, quot suo exemplo, virginitatem prima vovendo, pias animas ad colendam ac vovendam Deo virginitatem induxit Fundatrix, & Regina. Explicatio est linguæ incorruptæ S. Antonii de Padua. serm. de Laud. B. V. *Venter gloriosa Virginis fuit acervus tritici, triticum dictum, eò quòd purissimum horreo conditur, album interius, ac rubicundum exterius, Jesum Christum significat, qui in ventre gloriosa Virginis novem mensibus fuit reconditus, qui in molâ crucis pro nobis fuit attritus, candidus vitæ innocentia, rubicundus sanguinis*
rr
effu-

effusione; hic beatus venter fuit vallatus liliis, liliū dictū
quasi lacteum, beata Maria Virginis, propter candorem virgi-
nitatem significat, cuius uterus fuit vallatus, liliis scilicet u-
triusque virginitalis, interioris & exterioris. O Pulcherrima
Virginum Regina!

CONCEPTUS VII.

Vidit Joannes in suā Apocalypsi agnum stantem in mon-
te Sion, & sequentem innumeram hominum turbam, signa-
tam in frontibus suis, cumque interrogasset, quinam hi es-
sent, accepit pro responso; *Hi sunt, qui cum mulieribus non
sunt coinquinati, Virgines enim sunt, hi sequuntur agnum,
quocunque ierit.* Apocal. 14. cap. Agnus Dei, qui tollit pecca-
ta mundi, quem digito monstravit præcurfor Joannes, Rex
Virginum est, quod ex eo licet colligere, quia tanquam
vasalli fidelissimi sequuntur eum Virgines, quocunque ierit,
Quid si Rex hic Virginum, præcedentiam Mariæ reliquisset,
nonne eam præambulam Virginum, Reginam earundem di-
ceres? Inventus duodennis Jesus in templo, cum Mariā
& Joseph descendit in Nazareth, & erat subditus illi. Ecce
Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, qui Rex est Virginum,
quā subditus præcedentiam cedit Mariæ, Mariam ergo Vir-
gines sequuntur, ipsa præcedit Virgines, præambula est,
Regina est Virginum. Coronidem imponit S. Bernardinus
Senensis, ferm. de Assumpt. art. 1. cap. 1. *Ad Virginis Maria
puritatem & munditiam, nulla pura creatura ascendit, nec
Angeli, nec Virgines; nam Angeli habent munditiam tantam
in mente, Virgines in mente & carne: sed gloriosa Virgo Ma-
ria, cum quādam utriusque perfectione, supra omnem creatu-
ram elevata est in sublime.* Regina Angelorum, Regina
Virginum.

Epilogus.

Sequamur & nos Reginam Virginum, quocunque ierit,
& debitam statui nostro puritatem colamus, mente & cor-
pore nos integros Deo devoteamus, & virginitalē Mariæ
nobis

nobis sæpius ob oculos ponamus, ac in vestigiis ejus ad coronam gloriæ currentes, unaque sponso Virginum occurrentes, paternis consiliis obtemperemus S. Paschafii Radberti. Exposit. in Psalm. 44. *Sit vobis tanquam in imaginem ipsa ejus descripta virginitas, quam tunc verè diligitis, si eam sequimini moribus & vitâ ex toto, qua nihil aliud, quàm Deum dilexit.* Amen.

*Tu supra aetatem vovisti virginitatem,
Et fugis, ô mirum! prima, Maria! Vir-
rum.
Sed fecundaris, Virgo Matérque bearis,
Nos, ô Regina! bea, castaque vota crea.*

